

hos ortum: diligentiores diversam ab his omnino asserunt causam, nec statim post patratum parricidium discessum inde ferunt: verum enim vero levis omnino causa, ut de aliis fileam, prima illa visa est, ob quam tam frequens civitas solum vertere debuisset. Sed ita sane res se habet, ut illi ajunt, aliquot post annos, quam Dux cæsus est, Mauricio & Joanne ejus filio Principibus, Heracliam Equiliumque incoli desiisse: quod ipsum qua ratione acciderit, perspicue suo loco dicetur.

737

Nunc ad ea redeo, de quibus nihil inter scriptores ambigitur. Urso siquidem cæso, quum de creatione novi Ducis parum conveniret insulanis, ac magnopere, quod nunquam alias acciderat, variarent suffragia; placuit, in sex proximos annos Ducem in Republica non creari, sed novum aliquem Magistratum constitui, penes quem summa rerum omnium esset, ejusque annum Imperium: atque ita factum, ut quadragesimo ferme anno, aut paulo plus minusve, ex quo Dux in Republica esse cœperat, ad novam regiminis formam sit redditum. Qui loco Principis novus Magistratus est inductus, Magistrum militum dixerunt. Primus itaque suffragio omnium Dominicus Leo creatus est. Huic Felix Cornicula succedit, quem Medoaci creatum quidam scripsere. Cornicula Theodatus Ursi Ducis filius, nuper ab exilio revocatus: cui in sequentem quoque annum ingenti omnium consensu imperium fuerat prorogatum: verum priusquam magistratu abiret, non sine populi merore, vita decessit. In ejus locum Julianus Cœparius, seu, ut alii habent, Hipatus suffectus est. Quidam auctores sunt, hujus Magisterio Ravennam a barbaris oppressam Venetos recepisse. Quintus annus Cianum Fabriciatum habuit: apud quosdam Joannem pro Ciano scriptum reperio. Is nondum anno munere defunctus, a populo excœcatus magistratu abire est coactus. Scribunt nonnulli, hoc anno ad excidium usque inter Heraclianos bellatum & Jesulanos: dimicatumque esse in loco, cui a memorabili pugna *Canalis arcus* inde nomen manserit: atque ita demum utrorumque rebus accisis evenisse, ut ex Heraclia, Jesulo, Equiliove omnino alio sit concessum. Verum eane quam illi ajunt, an alia fuerit incolis inde abeundi causa, ex ipso libro facile poterit intelligi, quem huic proximo loco subjiciemus.

Novum mili-
taris Ma-
gisterii regi-
men.

738

739

740

741

742

IN